

4. Profess in Valtanberg
4.
4.
DISSSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-CANONICA

DE
ELECTIONE
ET
ELECTI POTESTATE,
QUAM

In Almâ, & Perantiquâ Universitate
Coloniensi

SOLENNI SUB PRÆSIDIO
*Pranobilium Clarissimorum, Consultissimorumque
Virorum, ac Dominorum,*

D. FRANCISCI GABRIELIS HAMM,
J. U. D.

Professoris Publici & Ordinarii, Venerandæque Facul-
tatis Juridicæ Dictatoris,

NEC NON
D. JOANNIS PETRI WIRTZ J. U. D.

Professoris Ordinarii, & Publici, ejusdemque Facultatis Fisci,
*Pro consequendis Summis in utroque Jure Honoribus,
Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet*

Autor
MICHAEL CHRISTOPHORUS SCHMITZ
AGRIPPINENSIS,

Canonicus Imperialis & Exemptæ Collegiatae
Ecclesiæ Effendiensis.

Anno MDCCLVI. Die 26. Mensis Octobris.

Coloniz Typis GEREONIS ARNOEDI SCHAUBERG.
Cum Privilegio Venerandæ Utriusque Juris Facultat.

DISSERTATIO
HISTORICO-CRITICA
DE

ELECTIONE

ET
CUM

In Almae & Peninsularum Universitate
Colonien.

JOHANNES DE WITTE
Lectorem Mathematicam, Collegii Peninsularum
Nominavit ac Dominum

D. FRANGIS GABRIELIS HAMM
J. D.

Professoris Publici in Geometria, Peninsularum Facul-
tatis Mathematicae

D. JOHANNIS PETRI WITZ J. D.
Professoris Collegii Peninsularum Mathematicae

et Collegii Peninsularum Mathematicae
Nominavit ac Dominum

MICHAEL CHRIS. THORUS SCHMITZ
J. D.

Professoris Collegii Peninsularum Mathematicae
Nominavit ac Dominum

et Collegii Peninsularum Mathematicae
Nominavit ac Dominum



DISSERTATIONIS HISTORICO-CANONICÆ

DE

Electiōe, & Electi Potestate

PARS I.

VARIAS VICISSITUDINES, QUIBUS ELECTIONES EPISCOPORUM SUBJECTÆ FUERUNT, EXPONIT.

I. **E**lectionis nomine hoc loco venit modus ille per SS. Canones approbatus, per quem, tanquàm per vocationem legitimam, Personæ idoneæ promoventur ad Ecclesiasticas Dignitates, illas nimirùm, à quarum vacatione Ecclesia *viduata* dicitur. Antequàm verò rem ipsam aggrediar, varias, quibus Electiones, præsertim Episcoporum subjectæ fuerunt, vicissitudines, quantum pro temporis breuitate licet, præmittam.

II. Electio Episcopi prioribus Ecclesiæ sæculis ad Clerum simul & Populum attinebat; prout colligere licet ex *Can. Plebs Diotrensis. Can. Nosse tuam. Can. Lectis. Can. Metropolitano. & Can. Sacrorum. Dist. 63.* Et ex his aliisque textibus idem tradunt Doctores, signanter *BARBOSA in Tract. de Offic. & Potest. Episc. P.*

I. tit. 1. c. 3. n. 4. Idemque *Jur. Eccles. Univ. L. 1. C. 8. N. 64. & seq. LEVREN. in For. Benefic. P. 2. q. 237.* Consentiantque THOMASSINUS de *Vet. & Nov. Eccles. Discipl. P. 2. l. 2. C. 2. Van. ESPEN Jur. Eccles. Univ. P. 1. tit. 13. C. 1.* Magnificentissimus D. BARTHEL Professor Herbipolensis, in *Dissert. Prælim. de Concordat. German. sect. 2. n. 13.* Neque etiam improbandum fuisse hunc modum videtur. Constat enim Ecclesia ex utroque, tam Clero, quàm Populo, & utrumque Episcopus regit; cur ergò uterque ad Electionem illius, qui omnibus erat præfuturus, concurrere non posset? THOMASSIN. cit. l. 2. c. 3. n. 4. ante finem, & c. 22. n. 3. Præsertim, cum Electio tùm temporis, testante Van ESPEN cit. loc. n. 10. LEVREN. cit. loc. per text. c. 1. dist. 62. BARB. cit. loc. de Offic. & Potest. Episc. n. 65. & *Jur. Eccl. univ. cit. loc. n. 5.* non esset, nisi nuda Personæ GRATIÆ designatio, cui potestas spiritualis regendi animas, per ordinationem, in qua Populi partes nullæ erant, conferebatur. Neque etiam Ecclesia concursum Populi indignata est; cùm enim talis Politia temporibus illis optimè convenire visa fuerit, ex prudenti quâdam œconomia illi Ecclesia acquievit.

III. Concurrerant ergò & Clerus, & Populus ad Electionem Episcoporum; semper tamen potiores Cleri, quàm Populi partes: de cujus concursu Nota, non eundem illum in omnibus Ecclesiis fuisse. Nam in aliquibus votum verè *electivum* dabat; in aliis votum merè *negativum*: Scilicet, excludebat unum aut alium, qui sibi gratus acceptusque non esset; pro eo autem, qui gratus erat, consensum accommodabat. *Can. Nosse. Can. Episcopos, & Can. Cleri. Dist. 63.* Alibi apud Clerum, aut illum qui Jure præficiendi Ecclesiæ vacanti Prælatum potiebatur, interponebant preces, ut hanc aut illam certam Personam promoverent. *Can. Nulla ratio. dist. 62. Can. Litteras. sæpè cit. dist. 63.* Alibi dabant testimonium de Moribus & Vitâ Eligendi. *Can. Vota. dist. 63. LEVR. cit. loc. BARB. cit. n. 65. & respectivè n 5.* Fuerunt tamen, qui qualem cunque etiam Populi concursum in Electionibus nullo

nullo modo tolerandum contenderent. Cùm verò, ut suprà monui, Electio, illo Ævo, non esset nisi *nuda Personæ GRATIÆ designatio*, & unicè Populo facultas concurrenti concessa, ut Ecclesiæ Præficiendus illi eò gravior esset, sanè non video aliquod exinde præjudicium passam esse Ecclesiæ Disciplinam.

IV. Verùm, cùm exposit Populus nimium excreveret, & Electiones, in quibus concurrebat, desinerent in tumultuarias factiones, Ecclesia illius in Electionibus concursum sustulit, quem antea ex Regulis Prudentiæ concesserat. *BARBOSA de Offic. & Potest. Episc. cit. tit. 1. c. 3. n. 9. & Jur. Eccl. univ. cit. c. 8. n. 67. LEVREN. cit. loc. BARTHEL. cit. loc. sect. 7. n. 4. & 5.* Non quidem ab initio omnis Populus exclusus; sed in Orientali Ecclesiâ, Triviali tantum remoto, Primores Populi in Electionibus concurrebant à sæculo VI. usque ad sæculum IX. *THOMASS. cit. l. 2. c. 3. per alleg. ibid. Novell. 123. c. 1. & Nov. 137. c. 2.* In Occidentali tamen Ecclesiâ concursus Populi seriùs perduravit; imò in aliquibus Ecclesiis illius vestigia adhuc sæculo XI. reperire licet. *THOM. cit. l. 2. c. 20. & seq. Van ESP. cit. tit. 13. c. 2. n. 1. & 2. BARTH. mox cit. n. 4.*

V. In Occidente circa initium temporis Imperatorum & Regum Carolingicorum illæsa adhuc erat libertas Electionum. Ipse siquidem Carolus M. in suis Capitularibus *Cap. 84.* id ipsum profitetur his verbis: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in DEI nomine Sancta Ecclesia suo liberiùs potiretur honore, assensum Ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per Electionem Cleri & Populi SECUNDUM STATUTA CANONUM de propria Dicecesi eligantur.*

VI. Hæc præclarissima Caroli M. vestigia ingressus est Ludovicus Pius Imperator, in suis Capitularibus eandem Declarationem repetens, promeruitque hæc utriusque Imperatoris professio Corpori Juris Canonici in Decreto Gratiani *suprà cit. Can. Sacrorum. Dist. 63.* inferi. Exempla, quæ hæc Capitularia infecuta sunt, videre licet apud *THOMASS. cit. c. 20. & 21. nec non c. 24. BARTHEL. cit. dissert. sect. 3. n. 3. & 4.*

VII. Nec minùs Principum potestas cum Electionum libertate fociari visa fuit sub Ludovico Pio & Carolo Calvo; cujus rei varia exempla adducere pergit THOMASSIN. c. 22. qui n. 3. vers. *Vix fingi. sic inquit: Vix fingi quidquam posset accommodatius ad eam, quam hùc inculcamus, concordiam libertatis Electionum cum Auctoritate intervenientium iis Principum, qui vel nominabant, vel indicabant, vel insinuabant tantummodò ejusmodi Viros, quorum singularis prorsùs & exploratissima Religio, Virtus, Eruditio ad assensum eos cogeret, quos Principis Humanitas invitaret: BARTHEL. Sect. 3. n. 4. & 8.*

VIII. Successu temporis invaluerat Investitura per Annulum & Baculum. Defuncto enim Episcopo, ipsius Annulus & Pedum Pastorale ad Regem mittebantur, quò nunciaretur Ecclesiam esse vacantem: & tunc aliquando ipsimet Reges ad instantiam Cleri & Populi designabant Successorem; aliquando, Electione ipsà permissà Clero, noviter Electus confirmationem ab ipso Rege impetrabat. Sed erat hæc confirmatio non, quæ Jurisdictionem aliquam Spiritualem conferret: sed, quâ tantùm declarabatur, Electum à Clero GRATUM & benè visum Regi esse: quò præviò fiebat Investitura, uti dictum, per Annulum, & Baculum, per quam similiter nulla Episcopo potestas Spiritualis conferebatur, neque conferri poterat; sed tantùm Reges per eam indicabant, se electos Episcopos investire de Principatibus, Ducatibus, Feudis, aliisque Regalibus & Bonis, Episcopatu Prædecessorum suorum liberalitate annexis. In ipsà Investiturâ Episcopus juramentum fidelitatis ad manus Regias præstare debebat. THOMASS. cit. l. 2. c. 38. n. 1. & 2. BARTHEL. sect. 5. n. 1.

IX. Sed, si ita: cur ergò tanta collisio inter Sacerdotium & Imperium, tot dissidia inter Pontifices & Imperatores? Circa Saculum XI. & XII. Pontifices, signanter Gregorius VII. & PASCALIS II. advertentes hunc Investiturarum usum in manifestum degenerâsse abusum, contenderunt Baculum & Annulum esse
signa

figna Spiritualia; non decere, ut Episcoporum manus consecratae jungerentur manibus profanis Regum, adeoque omnino similem investiendi modum tollendum esse. *BARTHEL Sect. 6. n. 1. § 2.*

X. Reges Angliæ & Galliæ quidem non diu retardârunt, quin investituræ per Annulum & Baculum renunciarent; modò Episcopi faterentur se, quos haberent, Principatus & Feuda, aliaque bona temporalia beneficio Regum obtinere. Verùm Imperatores Germaniæ Henricus IV. & V. non ità facilè adduci poterant, ut Investituram per Annulum & Baculum dimitterent: id quod Pontifices acerrimè urgebant, vibratis Censuris, aliisque pœnis Spiritualibus. Unde gravissima illa Schismata, contentiones & diffidia, à *THOMASSINO* relata, in Ecclesiâ oriri necessum fuit; quæ, cùm aliter componi non posse viderentur, Pascalis II. injunxit Episcopis, ut Regalia, quæ per Investituram obtinerent, omnino ad manus Imperatorum dimitterent: vice versâ Imperatores à præficiendis vacanti Ecclesiæ Episcopis abstinere, & Investituræ renunciarent; id quod Imperator Henricus V. etiam acceptavit. Verùm, cùm Episcopi, præsertim Germaniæ, qui amplissimos Principatus in Feudum obtinerent, omnibus viribus contradicerent; concordia effectu caruit, & Schisma continuatum fuit. *BARTHEL cit. Sect. 6. n. 3. 4. § 5.* Donec tandem Sæculo XII. Anno 1122. inter Pontificem Calixtum II. & Imperatorem Henricum V. Concordatum erigeretur, in quo & Pontifex & Cæsar de prætensionibus suis aliquantulum remittebant.

XI. Præcipua capita Transactionis erant, ut Cæsar renunciaret investituræ per Annulum & Baculum, Capitulisque relinqueretur libera Electio; verùm Cæsari per se, aut Alegantum Electioni interesse liceret, & in discordiâ, adhibito tamen consilio Metropolitanorum, decisio ad Imperatorem pertineret: ex adversò Imperator Investituram de Feudis temporalibus daret per Sceptrum, (*hodie per Osculum extremitatis Gladii datur*) & Episcopi,

copi ratione Feudorum ad Juramentum fidelitatis adstricti essent. THOMASS, *ibid.* n. 4. OTTO Frising. *Episc. Chronic.* l. 7. c. 16. BARON. *in Annal. Eccles. circa annum* 1122. GOLDAST. *Constit. Imper. Tom.* 1. pag. 258. & 259. BARTHEL *cit. sect.* 6. n. 6. En igitur quâ ratione Capitulis Cathedralibus jus eligendi Episcopos obtigerit. Quæ singularis ipsorum prærogativa, tam universim per jus commune Decretalium, uti insinuare videtur C. 3. *de caus. possess. & propriet.* quàm speciatim pro Germaniâ per Auream Bullam Friderici II. Imperatoris, *de libertat. Eccles.* Anno 1213. editam, confirmata fuit. BARTHEL *cit. sect.* 8. n. 6.

XII. Hæc ipsa tamen per reservationes diversorum Pontificum, potissimum Bonifacii VIII. Clementis V. & Joannis XXII. arctari coepta est; ut videre licet *in Extravag. Etsi in temporalium. de Præbend. inter comm. In Clement. In plerisque. de Election. In Extravag. Ex debito. de Election. inter comm. in Extrav. Ad regimen. de Præbend. inter comm. Van ESPEN cit. c. 2. n. 4. BARTHEL sect. 9. per totam.* Maximè omnium autem arctata fuit libertas Electionum Capitulorum Cathedralium, postquam conditæ fuerunt Regulæ Cancellariæ, quæ pro libitu Romanorum Pontificum augebantur & mutabantur, ubi Papa Joannes XXII. ejusque successores per Regulam II. reservârunt suæ dispositioni omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archi-Episcopales, Episcopales, uti & Prælaturas Regulares. Dicitur non potest, quales exinde querelæ natæ sint. Conquerebantur Capitula, non Germaniæ tantum, sed totius Orbis, de adempto jure Eligendi. Conquerebantur Metropolitanæ de præciso sibi in consequentiam jure confirmandi. Indignabantur Imperatores, se debere investire de amplissimis Principatibus, Feudis & Bonis, Homines sibi parum notos, quandoque etiam infestos.

XIII. Sæculo XV. 1414. habitum fuit Concilium Constantiense, in quo, pro tollendis gravaminibus institerunt Germaniæ status: sed, tum ob schisma, quod Ecclesiam tunc miserè dilacerabat; tum ob exortas Wicleffi & Hussi Hæreses istis malis mederi non

non potuit. Martinus V. provisoriam quidem aliquam ordinationem fecit; sed quâ partes non erant contentæ. Res ergò dilata usque ad Concilium Basileense Anno 1431. celebratum, in quo acrius pro restitutione Juris Eligendi, Episcopos electos confirmandi, & Beneficia conferendi, Capitula, Metropolitanac ac Ordinarii instituerunt; in quam etiam ipsis plenariè faciendam, abolitâ ferè omnibus reservationibus, paucissimis tantùm retentis, Patres in illo Concilio congregati non gravatè consenserunt. *Van ESPEN cit. loc. n. 6. & 7. BARTHEL sect. 10. n. 2. 3. & 4.*

XIV. Verùm hæc ipsa Concilii Decreta plenum tunc effectum, ob Eugenii IV. Pontificis renitentiam, in Germaniâ non sortiebantur; donec tandem in famosis illis Concordatis, Anno 1448. Nicolaum V. Eugenii successorem inter & Inclitam Nationem Germanicam Aschaffenburgi inicitis, Jus Eligendi Capitulis, tam Cathedralibus, quàm Regularibus postliminiò veluti, sub exiguis tantùm restrictionibus, restitutum fuit. Quâ etiam singulari prærogativâ præ aliis Provinciis, Regnisque, in quibus vel reservationes Pontificum, vel nominationes Regum & Principum obtinent, huc usque ferè sola & unica Germania imperturbatâ fruitur. *Van ESPEN cit. c. 2. n. 9. & 10. BARTHEL sect. 10. n. 5. & 8. nec non 12.* Hæc sunt, quæ de Origine, Progressu, Fatis, variisque vicissitudinibus Electionum præmittere placuit.

P A R S II.

PRÆSENTEM DISCIPLINAM, QUÆNAM SIT ELECTIONIS FORMA, QUI NAM ELIGERE, QUINAM ELIGI POSSINT, AD QUEM PERTINEAT ELECTIONIS CONFIRMATIO, ELECTIQUE CONSECRATIO, EXPLICAT.

I. **E**lectio est Personæ idoneæ ad Ecclesiasticam dignitatem vacantem Canonica vocatio, per vota Eligentium facta, autoritate

B

supe-

superioris confirmanda. Ita Canonistæ ferè omnes ad h.t. Dicitur: *Personæ Idoneæ*; quæ scilicet non solum indigna non sit; sed, quæ neque ullo etiam impedimento Canonico laboret; per quod à Postulatione distinguitur Electio. PIRHING ad Decret. tit. de Postul. Prælat. §. 1. n. 2. FAGNAN. ad Cap. Bonæ memoriæ ꝛ. de Postul. Prælat. n. 71. REIFFENSTVEL ad eund. tit. n. 11. LOTTERIUS de Re Benef. l. 2. q. 16. n. 20. Dicitur: *Canonica vocatio* id est: facta secundum præscriptum SS. Canonum; scilicet absque vitio, tum formæ Electionis, tum Eligentium, tum ipsius Electi. REIFFENST. ad tit. de Election. n. 5. PIRHING eod. tit. sect. 1. §. 1. n. 1. LOTTER cit. q. 16. per totam. LEVREN. P. 2. sect. 2. c. 2. q. 233. PASSERIN. in tract. de Election. c. 1. n. 35. Dicitur: *Per vota Eligentium*; quia Electio est actus Collegialis: & quemadmodum in actibus Collegialibus plurium vota sufficiunt; ita pariter ad Electionem vota non omnium, sed plurium eligentium requiruntur.

II. Electio igitur instituenda est per vota, votum autem aliud est. *Activum*, aliud *Passivum*, voce *activâ* gaudere dicitur ille, qui jus eligendi habet: *Passivâ* verò; qui eligi potest. Primò dispiciendum de iis, qui eligere possunt. In regulâ, jus eligendi pertinet ad illos, qui sunt membra Collegii, seu Capituli; quibus, secundum Decretales, & in Germaniâ secundum Concordata, & Auream Bullam Friderici II. Jus eligendi competit, Vicariis, Beneficiatis, aliisque Clericis, qui non sunt de Capitulo, exclusis. Vid. *Can. ult. caus. 16. q. 7. Cap. cum terra. 14. h. t. Cap. 3. de Caus. Poss. & Prop.* REIFFENSTVEL h. t. §. 7. n. 159. ENGEL eod. tit. §. 1. n. 1. PIRHING cit. sect. 1. §. 2. n. 9. LEVREN. cit. c. q. 239.

III. Neque tamen omnes, qui sunt de Capitulo, vocem *activam* habent. Excluduntur enim, præter prohibitos de jure Naturæ, ut, Furiosos, Amentes, & Impuberes (teste REIFFENST. cit. §. 7. n. 165. & 166. LEVREN. cit. c. q. 254. & 255. PIRHING cit. sect. 1. §. 5. n. 26. PASSERIN. c. 10. n. 10, & 11.) illi, qui

nec-

necdum sunt in sacro, saltem subdiaconatûs, Ordine constituti, *Clement. 2. de Ætat. Qual. & Ord. Præf. TRIDENT. sess. 22. c. 4. de Reform. ENGEL h. t. §. 1. n. 6. REIFFENST. eod. tit. §. 7. n. 177. PASSERIN. de Elect. c. 10. n. 50. LEVREN. cit. loc. q. 257. MANDAGOT. de Elect. P. 3. c. 60. vers. Decimo quinto. pag. mibi 106.* Cujus ratio hæc esse videtur, ut illi, qui amplos subinde redditus Ecclesiasticos percipiunt, & Privilegiis, Prærogativis, Juribusque Ecclesiarum gaudere volunt, in perpetuum etiam servicio Divino mancipientur.

IV. Non incongruè hoc loco quæri posset de Capitulis Mixtis, in Germaniâ (quorum scilicet Membra, partim Catholica, partim Protestanticæ addicta sunt Religioni) si Princeps Religionis Protestanticæ in Episcopum eligi, aut postulari debeat, juxta *Instrum. Pac. Westphal.* An quoad Catholicos Co-eligentes obtineat citata dispositio *Clement. 2. de Ætat. Qual. & Ord. Præf.* uti & Concilii *TRID. sess. 22. c. 4. de Reform.* Ego affirmativè respondendum censeo, ex ratione, quia, quod per Instrumentum Pacis mutatum non est, cur stare prohibeatur?

V. Similiter Voce *Activâ* privantur Religiosi proprietarii, *TRID. sess. 25. de Regular. c. 2. Suspensi, Interdicti, Irregulares, Excommunicati. c. un. ne sede vac. in 6. c. cum dilectus. 8. vers. quia nobis. de Consuet. c. cum inter. 16. h. t. c. is qui. 18. §. is verd. de Sent. excomm. in 6. ENGEL de Elect. §. 1. n. 7. PASSERIN. cit. loc. n. 64. & 87. REIFFEN. cit. §. 7. n. 167. & 170. PIRHING cit. §. 5. n. 27. & 30. LEVREN. cit. loc. q. 272. & 276.* Quamvis tamen posteriores (excommunicati nimirum) cum quâdam limitatione post Concilium Constant. & Extravag. Martini V. *Ad evitanda* admittantur.

VI. Vocem etiam *Activam* non habent, qui non intersunt Electioni. Electio enim Actus est Collegialis; ergo Collegialiter expediri debet; & per Epistolam votum suum quis dare non permittitur, per *Text. clarum c. si quis justo 46. §. fin. de Elect. in 6. ibi-*

**ABSENS QVOQUE...NON POTERIT ALIQVATENVS
PER**

PER LITTERAS EXPRIMERE VOTUM SUUM, additâ hâc notabili ratione: quod non est ante scrutinium; sed in ipso scrutinio, secretè & sigillatim exprimendum: BARBOS. ad cit. c. & §. verbo: Non poterit: n. 17. REIFFENSTUEL. cit. §. 7. n. 176. LEUREN. cit. loc. Q. 263. PASSERIN. cit. c. 10. n. 31. Van ESPEN Jur. Eccl. Univ. P. 2. Tit. 21. c. 3. n. 22. Absentestamen vocari debent, illi scilicet, qui habiles sunt & debent, & volunt, & possunt commodè interesse: nisi sint nimis remoti; quod ex Consuetudine locorum, aliisque circumstantiis desumendum est. ENGEL. h. t. §. 1. n. 11. REIFF. eod. Tit. §. 5. n. 118. PIRH. cit. Tit. sect. 3. n. 125. 126. & 127. PASSER. cit. c. 10. n. 35. & seqq. MANDAGOT. alleg. tract. P. 1. c. 4. & 5. Litt. b. BARBOS. [ad c. 35. h. t.]

VII. Qui autem legitimo obstrictus impedimento Electioni interesse non potest, facultatem habet constituendi Procuratorem, qui Membrum sit Capituli, ad votum suo nomine dandum. Cap. Quia propter. 42. vers. Illud autem. h. t. Cit. c. si quis justo. 46. h. t. in 6. BARB. Jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 19. n. 100. Idem ad cit. c. Quia propter. §. Illud autem. n. 37. ENGEL. cit. loc. n. 10. REIFFENSTUEL. cit. loc. §. 8. n. 181. & duob. seqq. PASSER. cit. n. 35. LEUREN. cit. loc. Q. 264. Dico: Qui Membrum sit Capituli; quia ad actus Collegiales Extraneum admittere Capitulum non tenetur: etiamsi nullus Capitularium mandatum acceptare velit; prout quoque nemo illud acceptare tenetur, per cit. c. si quis justo. §. alleg. ibi: LICET NULLUS DE COLLEGIO VEL ITESSE PROCURATOR EJUSDEM. LEUR. cit. loc. Q. 266. REIFFENST. cit. §. 8. n. 189. PASSER. cit. c. 10. n. 43. Legimitas impedimenti ab impedito probari debet, quia facti est; simulque in mandato exprimenda est causa specifica; non generalis. Probatum autem, saltem deficientibus aliis, per juramentum, quod Procurator præstat in animam Principalis. Alleg. c. 42. vers. cit. ibi: SUPER QUO, SI OPUS FUERIT, FIDEM FACIAT JURAMENTO. REIFF. cit. §. 8. n. 184. LEUREN. cit. loc. Q. 264. PASSER. cit. loc. n. 41. Debet tamen Procurator, hoc casu, speciale habere mandatum ad jurandum. Vid. Auth. cit. VIII.

VIII. De Jure *speciali*, seu per exceptionem à regulâ, competere potest etiam *Extraneis* Jus Eligendi: uti imò, per Privilegium S. Pontificis. *PIRHING* *h. t. sect. 1. §. 3. n. 14.* *REIFFEN.* *h. t. §. 7. n. 160.* *ENGEL* *eod. tit. §. 1. n. 1.* adducens pro ratione plenissimam S. Pontificis in omnibus Ecclesiis & Beneficiis potestatem, quâ Jus Eligendi auferre & concedere cuicumque liberè possit. Vix tamen crederem, in Cathedralibus Germaniæ Ecclesiis propter Concordata (vigore quorum Capitula Jus Canoniarum Electionum obtinere) Capitulares *Extraneum*, etiam Privilegio S. Pontificis quantumcunque amplissimo munitum, admissuros. 2dò, Jus Eligendi competere potest *Extraneo*, si Capitulares in admissionem ejus consentiant: ubi tamen vota debent esse unanimia; quia agitur de Jure singulorum. Quilibet enim de Collegio Jus habet *Extraneum* ab actibus Collegialibus excludendi; unde quod omnes tangit, debet ab omnibus communi consensu approbari. *Cap. 40. h. t. ibi est ut, si constiterit de MUTUO CONSENSU.* *BARBOS.* *in cit. c. 40. h. t. n. 4.* 3tò, Ex præscriptione aut consuetudine legitimè præscriptâ. Intelligenda hæc sunt de *Extraneis* Clericis; nam Laicos utpote Juris Spiritualis (quale hodie tribuit Electio) incapaces Jus Eligendi ex consuetudine aut præscriptione, aut etiam ex consensu admittentium acquirere non posse palàm est. *Can. Nullus. Dist. 63. cap. Massana. 56. h. t.* *BARBOS.* *in cit. c. 56. n. 2.* *REIFF.* *§. 7. n. 174.* *PASSER.* *de Elect. Canon. c. 10. n. 18.*

IX. Transeo nunc ad eos, qui Electionis *Passivæ* capaces sunt. Debent illi esse instructi dotibus & qualitatibus ad vacantem Dignitatem requisitis. Præter illas (quas Apostolus Paulus in *Epist. 1. ad Timot. c. 3.* & in *Epist. ad Tit. c. 1.* statuit) alias qualitates requisiverunt SS. Canones. Sic imprimis statuitur, ut non tantùm ipsemet Eligendus Catholicæ sit addictus Religioni: sed etiam, ne natus sit ex Parentibus Hæreticis; & quidem ex Lineâ Maternâ usque in primam; ex Paternâ verò usque in secundam

cundam generationem, *per text. c. 2. §. Hæretici autem. c. Statutum. 15. de Hæret. in 6. ENGEL h. t. §. 2. n. 25. REIFF. h. t. §. 9. n. 224. PASSERIN. de Elect. can. c. 25. n. 74.* In Germaniâ tamen (ubi exactior SS. Canonum dispositio urgeri nequit) præterquam quod ad Prælaturas, Protestantibus per *Instrum. Pac.* à Catholicis cessas, Augustanæ Confessioni addicti eligi debeant, illi, qui ex Parentibus Protestantibus nati sunt, modò ipsi Catholici sint, ab obtinendis Prælaturis Ecclesiasticis non repelluntur; uti experientia satis comprobatur.

X. Requiritur prætereà in Promovendo ad Episcopatum Ætas 30-annorum; Scientia, si non eminens, saltem competens; Natalium legitimitas, *ex Constit. Concil. LATERAN. relata in c. Cum in cunctis. 7. h. t. TRID. sess. 7. de Reform. c. 1. & sess. 22. c. 2. innovantis cit. c. 7. h. t.* Imò in Cathedralibus Germaniæ Ecclesiis non sola Natalium legitimitas sufficit: sed, sicut ad Canonicatus, ita & ad Dignitatem Episcopalem Generis nobilitas, Familiæque splendor (cujus probationem strictissimam exigunt) adesse debet. Eligendus in Episcopum Clericatus etiam adscriptus, imò, *juxta TRID. sess. 22. c. 2. de Reform.* in sacro Ordine (scilicet Subdiaconatus saltem) sex ante Electionem mensibus, constitutus esse debet, prætereà à vinculo alterius Ecclesiæ liber & expeditus, ob rationem Matrimonii Spiritualis, quod ab Episcopo per solam etiam confirmationem contrahitur. *c. 4. de Transl. Episc. ENGEL h. t. §. 2. n. 30.*

XI. Cùm Eligendi etiam immunes à Censuris & Irregularitatibus esse debeant; hinc ab Electione *Passivâ* excluduntur Excommunicati, sive tolerati sint, sive non: item suspensi, personali interdicto ligati, & quicumque irregularitatem aliquam contraxerunt. *REIFFENST h. t. §. 9. n. 221. & 222. PIRH. eod. tit. §. 5. n. 103. & seq. ENGEL h. t. §. 2. n. 21. PASSER de Elect. can. c. 5. n. 445. & 495.* Demùm qui per Simoniacam pravitatem se in Ecclesiasticas Dignitates intrudere attentârunt, eligi prohibentur; eò quod delictum hoc Sacræ Reip. fundamenta gravissi-

gravissimè concutiat : cùm actum esset de Ecclesiâ, si pretio
viam sibi ad Prælaturas & Animarum regimen sternere cuivis,
etiam indignissimo & ineptissimo (quod inde timendum foret)
liceret. Hinc non valet Electio, si vel unum etiam supernu-
merarium votum Simoniacè (licet per tertium, inscio etiam
Electo) comparatum esset; nisi tertii id fraude factum, ut alium
ab Electione excluderet: aut Electus ipse protestetur se nolle
ullum votum Simoniacè comparatum. *c. 27. § 33. de Simon.*
ENGEL h. t. §. 2. n. 27. BARB. in cit. c. 27. n. 1. PIRH. Sect. 2.
§. 4. n. 96.

XII. Olim quidem etiam ex Gremio Collegii Eligendus esse
debebat: uti *ex can. 13. Dist. 61.* deducit *ENGEL cit loc. n. 20.*
Verùm hodie hanc Constitutionem solum Eligentium favorem
concernere, adeoque eos huic renunciare posse, tradit idem
ENGEL cit. loc. censetque solius *honestatis*, non *necessitatis* esse,
ut ex gremio, si idoneus adsit, ad Prælaturam vacantem eliga-
tur. *REIFF. h. t. c. 9. n. 233. circa fin. PASSER. de Elect. can.*
c. 25. n. 649.

XIII. Progredior ad formam Electionis; quam Ecclesia, in
quâ ordinatè cuncta procedunt, non vagam & arbitrariam, sed
certam & determinatam esse voluit: ita quidem, ut, si præter
illam Electio celebraretur, hæc ex defectu formæ invalida sit, &
ipso Jure nulla, prout testantur *PASSERIN. c. 9. n. 19.*
MANDAG. cit. c. 22. Litt. b. LEUR. cit. P. 2. q. 381.,
BARB. in cit. c. Quia propter. n. 30. § 32. REIFF. h. t. §. 11.
n. 269. Illa autem, ad quam juxta præsentem disciplinam Ele-
ctiones efformari debent, constituta reperitur in divulgato
c. Quia propter. 42. h. t. estque triplex: *Inspiratio*, vel *quasi in-*
spiratio; *Scrutinium*, & *Compromissum*.

XIV. Per *Inspirationem* Electio tunc fieret, si Persona Eccle-
siæ præficienda per certam & infallibilem DEI revelationem de-
signaretur: qualiter S. Ambrosius necdùm baptizatus ad Me-
diolanensem Ecclesiam evectus esse dicitur *in Can. Statuimus.*
§. His

§. *His omnibus. Dist. 61.* Per quasi Inspirationem verò; si, nullo prævio tractatu aut conventionem, Eligentes in certam aliquam Personam unanimiter consentiant, & conclament. Quamvis rarior hujus in praxi sit usus: probaverunt tamen illam SS. Canones; eò quod ob tantam concordiam Spiritus S. assistentia præsumatur, uti tradunt ENGEL *h. t. §. 3. n. 33.* PIRH. *h. t. sect. 4. n. 232.* FAGNAN. *ad cit. c. Quia propter, h. t. n. 27. § 28.* REIFF. *h. t. §. 3. n. 65.*

XV. Communior Electionis forma est *Scrutinium*: cujus Regulae referuntur *in cit. c. Quia propter. ibi: Ut presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi; nullo prorsus Appellationis obstaculo interjecto; ut is collatione habità eligatur, in quem omnes vel major & sanior pars Capituli consentit.* Nimirum, postquam, deliberatione habità, Eligentibus forma scrutini præplacuit, eliguntur (teste LEVR. *cit. P. 2. q. 338. & duab. seqq. PASSER. c. 16. n. 16. 18. & 32.*) tres Scrutatores, viri fide digni, de *Capitulo* (Extranei enim, præsertim, si Romæ, ubi formæ *c. Quia propter.* tenaciùs infistitur, petenda sit confirmatio, assumi non deberent) Hi, ut fideiùs officio suo fungantur, de servando secreto jurare solent. Debent colligere vota *ordinatè*; scilicet, primò sua ipsorum: & demùm aliorum Eligentium; ne in eorum quasi arbitrio sit, Electionem, quorsum velint, dirigere. *Secretè*; scilicet, seorsim ab aliis, qui sunt de Collegio: ut sic liberiùs vota dentur; & ne pax inter Co-eligentes ob publicata vota turbetur. *Singulatim*; ut accedant non turmatim, aut terni, vel bini; sed singuli separatim. *Diligenter*; nimirum Scrutatoribus incumbit exquirere non solum nomen Eligendi: sed etiam rationes, cur Eligens potius huic, quam alteri votum suum dare velit. ENGEL. *h. t. n. 35.* LEVR. *alleg. P. q. 351.* REIFF. *h. t. n. 124. & 125.* BARB. *jur. Eccl. univ. l. 1. c. 16. n. 201. & 212.*

XVI. Facta votorum exceptione, instituenda est Collatio. Hæc triplex est: *Numeri ad numerum; Zeli ad zelum; Meriti ad meritum*: ut inde nimirum resultet, quis non tantum majora (scilicet respectu Capituli) sed saniora etiam vota habeat; prout habetur *in cit. c. Quia propter. ibi in quem omnes, vel MAJOR & SANIOR pars Capituli consentit.* Et hæc quidem votorum Sanioritas secundum antiquiorem disciplinam requisita omnino erat: hodie tamen, ad præcavendam diuturniorem Ecclesiarum vacantiam & præcludendam infinitarum litium occasionem, quæ inde orirentur, non amplius attenditur; sed, qui majora habet, etiam Saniora vota habere præsumitur. REIFF. *h. t. n. 143. TAMBURIN. de Jure Abbat. Tom. 1. Disp. 5. q. 6. n. 24. PASSER. c. 19. n. 21. BARB. ad c. Quia propter. n. 27. circa fin. FAGNAN. ad c. Cum in cunctis. n. 4. de his, quæ fiunt à majore parte Capituli.* Post hoc, si appareat vota majora in aliquem concurrere, fit Electionis publicatio: primò *Generalis*, scilicet Electionem peractam esse; deinde *Specialis* quæ in hoc consistit, quod Præses Electionis nomine Capituli dicat: *Ego meo, & mihi Co-Eligentium & consentientium nomine eligo, Electumque pronuncio NN. in Episcopum Ecclesiæ NN. in nomine P. & F. & Sp. S. uti videre licet apud AA. cit.*

XVII. Demum Electio etiam celebrari poterit per *Compromissum*; uti *cit. c. 42. Quia propter. vers. vel saltem.* aperte habetur. Est autem *Compromissum* tunc, quando non omnes Capitulares dant vota sua; sed vel uni vel pluribus viris idoneis facultatem concedunt: ut nomine omnium Ecclesiæ viduatæ Prælatum eligant, spondentes, se pro Canonicè Electo habituros illum, quem tales *Compromissarii* elegerint. PIRH. *h. t. n. 204. PASSER. c. 22. n. 2. ENGEL h. t. n. 41. REIFF. h. t. n. 68. LEVR. cit. P. 2. quæst. 393.* Ut autem *Compromissum* valeat, singulorum consensus requiritur; quia singulorum jura tanguntur, & voto suo absque causâ nullus privari debet. PASS. *cit. e. n. 19. & 23. REIFF. cit. tit. n. 71. FAGN. ad c. licet de vitandâ. n. 90. MANDAG. c. 39.* Possunt

C

autem

autem Compromissarii unum ex se ipsis eligere, ne aliàs officium suum ipsis damnosum sit. Quid? quod, si unus Compromissarius ab aliis Compromissariis fuerit electus; hic in paritate vororum Electioni de se factæ consentire, & sic majora efficere potest: uti decisum habetur *inc. 33. h. t.* & consentiunt *BARB. ad hoc c. n. 2. ENGEL h. t. n. 42. REIFF. h. t. n. 101. & duob. seqq. LAYMAN. in quæst. Canon. de Elect. q. 88.*

XVIII. Electio absolvenda est intra tres menses à notitiâ mortis Prælati computandos: aliàs, si omnes Capitulares negligentes fuerint, illis elapsis, jus præficiendi Prælatum Ecclesiæ vacanti ad immediatum superiorem de jure communi devolvitur. *c. 41. h. t. BARB. ad d. c. n. 1. REIFF. h. t. n. 278. LAYMAN. cit. loc. q. 95. PASSER. c. 13. n. 19.* In Germaniâ autem vi Concordatorum ad S. Pontificem pertinet (si intra tres menses, aut Electio celebrata non fuerit; aut minùs Canonicè) Ecclesiæ vacanti providere §. *Item placet nobis, quod Metropolitanis.*

XIX. Peractâ Electione, & præstito Electi consensu peti debet intra tres menses Confirmatio: quæ est Promoti ad dignitatem Approbatio [formato prius Electionis processu & examinatis Personæ Electæ qualitatibus] à Superiore, cui competit, facta. *c. Quam sit. 6. §. cæterùm in fin. h. t. in 6. BARB. ad idem c. n. 4. item in tract. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 9. n. 3. IDEM de Offi. & Potest. Episc. P. 1. tit. 1. c. 4. n. 1. REIFF. h. t. n. 319. LAYM. cit. tr. q. 108. PIRH. h. t. n. 307.*

XX. Antiquior Ecclesiæ disciplina Electorum in Synodo Provinciali Episcoporum Confirmationem Metropolitanam iudicio deferrebat: uti satis indicant *Concilii Nicæni Canon. 4. & 6.* Quæ etiam Ecclesiæ disciplina per plurium sæculorum intervallum inconcussa stetit; imò in Decretalibus ipsis Gregorii IX. Circa Sæculum XIII. editis apertè supponitur. *Vid. c. 20. & c. 32. de Elect. Van ESPEN. P. 1. tit. 14. c. 1. n. 1. & 3.* Cùm autem postea Episcopi Electi pro dispensatione variorum impedimentorum Romam sæpè recur-

recurrerent: aut, litibus circa Electiones non infrequenter exortis, earum decisionem Partes ad Tribunal Sedis Apostolicæ deferrent, aut demùm, cum ob justas rationes, primò speciales, ex post generales omnium Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum reservationes à Pontificibus fierent : ex tunc etiam jus Confirmationis ex decentiâ, ne aliàs inferior superioris actum confirmaret, Metropolitanis ablatum S. Pontifici accrevit. *Van ESPEN. cit. c. 1. n. 6.* Et, licet Concordata Nationis Germanicæ Capitulis Cathedralibus jus Canoniarum Electionum restituerint : jus tamen Electos confirmandi per illa ipsa S. Pontifici assertum fuit, *cit. §. item placet nobis. Van ESPEN cit. loc. n. 7. REIFF. h. t. n. 322. PIRH. h. t. n. 305. ENGEL eod. t. §. 4. n. 50. BARTHEL cit. Dissert. prælim. sect. 10. n. 10.* Antequam tamen Romæ Confirmatio decernatur (quod *præconizationem* vocant) rigorosum in partibus examen, tum super formâ Electionis, tum super Electi qualitatibus institui solet, ejusque Protocollum Romam transmittitur.


XXI. *Effectus* Confirmationis est, quod Electus consequatur potestatem jurisdictionis, & facultatem administrandi Diocesim, quæ ante illam ipsi interdicta est sub poenâ amittendi Juris ex Electione quæsitæ. *c. Qualiter. 17. h. t. BARB. ad d. c. n. 1. 2. & 3. FAGN. ad cit. c. n. 2. ENGEL. h. t. n. 51. & 52.* Per exceptionem tamen à Regulâ *in c. 44. h. t.* permittitur, ut Electi in concordia, si nimis remoti à Curiâ Romanâ existant, etiam ante expeditas Confirmationis litteras, Diocesanos administrationem capescere possint : id quod etiam in Germaniâ, tam quoad Ecclesiastica, quàm temporalia negotia in usu esse, experienciâ constat.

XXII. Superest Electi Consecratio, per quam intelligo illum solemnem ritum, quo Episcopus adhibitis ab Ecclesiâ præscriptis Cæremoniis inaugurari solet; & consequitur Plenitudinem Potestatis Episcopalis seu Spiritûs S. Olim illa sejuncta non erat à Confirmatione; sed Metropolitanus plerùmque legitimè Electum, prævio examine, unâ cum Suffraganeis suis per manuum impositionem

tionem consecrando simul confirmabat, & confirmando consecrabat : testante *Van ESPEN jur. Eccl. univ. P. 1. tit. 14. c. 4. n. 1.*

XXIII. Hodie petenda est intra tres menses à die Confirmationis, sub poenâ amissionis fructuum ; & si per tres alios negligatur ; sub poenâ privationis Juris, ex Electione & Confirmatione quæ sit, juxta *Constit. Concil. TRID. sess. 23. c. 2. de Reform. BARB. de Offi. & Pot. Episc. P. 1. tit. 1. c. 5. n. 1. nisi fortè inexcusabilis necessitas coegerit tempus ordinationis (seu Consecrationis) amplius protelari. Can. Quoniam, Dist. 75. BARB. cit. loc. & alii.* Sicut Confirmatio Electionis ; ita & Episcopi Confirmati Consecratio pertinet ad S. Pontificem. Non tamen Romæ illa peragitur ; sed plerùmque S. Pontifex eam suo nomine in assistentiâ trium aut duorum aliorum Episcoporum peragenda viciniori aut alteri sibi beneviso Episcopo delegare solet.

Hæc sunt L. B. quæ ex amplissimâ sane materiâ pro inaugurali specimine excerpere placuit. Si pro ejus dignitate præsentem dissertatiunculam minus elaboratam Credas, id maximæ temporis angustia adscribe & mihi Fave.





COROLLARIA

EX JURE NATURÆ & GENTIUM.

- I. **J**Us naturæ quoad particulares Conclusiones ex principiis generalibus absque erroris periculo deducendas in statu præfenti Naturæ lapsæ non excludit principia revelata.
- II. Antequam à supremo Principe bellum suscipiatur; causas ejusdem liquidas esse oportet.
- III. Exceptio quod metûs causâ in Transactionibus publicis locum non habet.

EX JURE ECCLESIASTICO.

- I. **E**ccliam instructam esse potestate Sacri Regiminis verè authoritativi contra Protestantes statuo,
- II. Quod S. Pontifex Concordata Germaniæ pro libitu infringere nequeat, non obstat Plenitudini Potestatis.
- III. Iisdem Concordatis Germaniæ per Consuetudinem aut Præscriptionem, saltem immemoriam, in favorem Ordinariorum derogari potest.

EX JURE PUBLICO.

- I. **O**fficium & Potestas Principum Sæcularium circa Sacra ex principiis Catholicorum in Jure protectionis & Advocatiæ concluditur,
- II. Prin-

- II. Principibus & Dominis Territorialibus Sæcularibus Catholicis usum Jurisdictionis Ecclesiasticæ in subditos A. C. addictos competere nihil prohibet.
- III. Reservatum Ecclesiasticum in Pace Religiosâ statutum, justum est & legitimum.

EX JURE CIVILI.

- I. **A**ctor, qui nihil omninò adhuc probavit, Reo deferre potest Juramentum judiciale.
- II. Dispositio Juris Civilis requirens septem testes ad valorem Testamenti non contrariatur Juri Divino.
- III. Filius-Familias de peculio adventitio extraordinario testandi facultatem non habet.



II. Principibus
cis usum J
dictos con
III. Reservatum
stum est &

I. A Ctor, qu
test Jur
II. Dispositio J
Testament
III. Filius-Fam
di facultate

laribus Catholi-
ditos A. C. ad-
à statutum, ju-

Reo deferre po-
tes ad valorem
rdinario testan-

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black